

# EPISTULA LEONINA

# LI

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-L INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina.php>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

**EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
QUADRAGESIMAM QUINQUAGESIMAM PRIMAM (51)**

!



**SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

**Cara Lectrix, Care Lector,**

*valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam quinquagesimam primam.*

*Prima symbola huius Epistulae est allocutio natalicia IOACHIMI GAUCK praesidis Germaniae foederalis Latinê reddita (p.4-6).*

*Iam annuntiavi RECITATOREM, i.e. librum illum a Bernhardo Schlink scriptum a me in Latinum conversum e domo Leonis Latini in lucem editum esse. Hic liber venalis prostat in domo Leonis Latini indeque directê mandari potest (p.7).*

*Porro in Epistolâ Leoninâ quinquagesimâ primâ fusê describuntur duo OPERA OTFRIDI PREUSSLERI laureata: HOTZENPLOTZIUS (p.8-20) necnon CRABATUS (p.21-32). Utrumque cimelium Preußlerianum a Leone Latino Latinê iam redditum mox in eius domo venaliter prostabit. Nec desunt in hac Epistolâ textûs ex utroque opere Preußleriano excerpti.*

*Praeterea invenies INDICEM VOCABULORUM, qui spectat ad AUTURGIAM (p.33-36).*

*Ecce CERTAMEN POESEOS LATINAE ab Universitate Pontificiâ Salesianâ annuntiatum (p.37sq.).*

*Partem finalem huic Epistulae Leoninae quinquagesimae primae addidi cantilenam nataliciam illustrem necnon mirabiliter sonoram, quae incipit verbis "ADESTE FIDELES".*

*Utinam quam plurimê placeat tibi lectio huius Epistulae Leoninae Quinquagesimae Primae.*

**In Natale Domini exopto tibi optima quaeque!**

**Medullitus Te salutat**

**Nicolaus Groß**


**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Lunae, 24. m.Dec. a.2012**



*Du Bois-Reymond*

*Philosophische Gesellschaft in Berlin*

**IGNORAMUS ET IGNORABIMUS.**

**EMIL DU BOIS-REYMOND**

**(1818-1896)**

24.12.2012

## Verba allocutionis praesidialis

### "Ita est, nos volumus societatem solidariam<sup>1</sup>"

*Ioachimus Gauck* praeses Germaniae foederalis allocutione suâ nataliciâ cives adhortatur, ut adversus omnem mentium instabilitatem praestent animum fortem atque libertatem sermonis. Sequitur ipsa oratio praesidis foederalis, quae televisione emittetur vespere primae diei Natalis Domini.



Gauck praeses foederalis : "Ita est, nos volumus societatem solidariam"

"Carae civissae civesque hac in terrâ,  
cari compatriotae procul versantes!

Natale Domini est. His diebus multi nostrum legunt atque audiunt historiam Natalis Domini. Hac historiâ, qua agitur de puerulo in praesepe cubante, duo nuntii nobis afferuntur, quibus non solum religiosi, sed omnes homines commoventur. "Nolite timere!" et: "In terrâ pax!" Desideramus enim pacem, praesertim cum re verâ tanta discordia, tot bella dominantur.

<sup>1</sup> Christian HELFER, *Lexicon Auxiliare*, 3.ed., Saarbrücken 1991, p.508 s.v. solidarisch: "+solidarius, -a, -um: [NIERMEYER 76,977; LURZ, *Societas Latina* 52,18]... Solidarität ...\*solidaritas, -atis f. [Adrien BRUN: *De quibusdam rebus ad solidaritatem pertinentibus*. Thes. Montauban 1905]".

Paucis diebus ante reverti ex Afghanistaniâ. Admiratione affectus sum videns, quomodo militissae militesque Germani vitae periculum adeuntes prohiberent tromocratiam, auxilium afferrent hominibus civilibus. Illis militissis militibusque gratias ago – necnon adiutoribus civilibus ibi agentibus. Tale iter facienti ad oculos demonstratur, quam pretiosa sit ea pax, quae ex plus sexaginta annis valet in Europâ. Eadem pax confirmata est ideâ europaeâ valente. Merito Unio Europaea accepit praemium pacis Nobelianum. Nunc autem quaerendum est: Poteruntne voluntate nostrâ politicâ retineri coniunctae res, quae ratione oeconomicâ cultualique sunt vehementer diversae?

Germania discrimen oeconomicum usque nunc bene sustinuit. In comparatione cum aliis Europaeis oeconomico plerique nostrum sunt statu bono, immo valdê bono. Accedit, quod Germaniae condicio politica est stabilis; factiones radicales non eo auctae sunt, quod nonnulli homines animis sunt incertis. Iidem autem incerti sunt, quid cogitent de vitâ, quae facta est velocior, minus perspicua, minus stabilis. Hominum divitum pauperumque distantia magis magisque augetur, climatis mutationi tam oportet novâ ratione succurratur quam societatis senescentiae. Necnon sollicitamur violentiâ: in stationibus subterraneis aut in viis stratis, ubi etiam eo impetûs fiunt in homines, quod iidem sint capillis nigris et cute fuscâ.

Cum istae res omnes nobis sint adversae, non solum egemus hominibus politicis strenuis, sed etiam probis civibus ingenio atque manu promptis.

Interdum autem oportet res transactas bonaque tradita recordando retractemus, ut corroborascamus amissumque animum recuperemus.

Ad talem recordationem prodest Natale Domini. Quo Christianis a Deo promittitur nos homines servatum iri eiusdem caritate. Sed etiam muslimis et Iudaeis et homines alius fidei et atheistis Natale Domini est festum quiescendi, festum cognatorum affiniumque, quo inter se coniungantur homines invicem visitantes et donantes – rebus pulchris, sed praecipuê diligentia.

Qui non diligitur diligitque, is non potest crescere neque florere.

In sermone politico diligentia est: solidaritas; in sermone fidei religiosae: caritas; in hominum animis commotis: amor. Ita est – volumus societatem solidariam. Societatem, quae iunioribus vias patefaciat ad bonam vitam degendam necnon senioribus relinquat sedem inter nos

sitam. Societatem, quae illos, qui ex generationibus hîc vivant, coniungat cum illis, qui nuper demum hîc novam patriam sibi quaesiverint.

Nuper Africana quaedam mater in profugorum domicilio infantulam brachiis meis imposuit. Licet numquam omnes profugos recipere possimus: at iis, qui persecutionem patientur, animo aperto asylum concedamus necnon praestemus animum benevolum erga homines admigrantes, quibus egeat terra nostra.

Mensibus transactis cum homines conveniebam permultos, experiebar rem valdê beatificam: Animadverti enim numerum hominum, qui res nostras praesentes futurasque studeant meliores facere, multo maiorem esse quam numerum socordium negligentiumve. Itaque gratias ago mulieribus virisque ad auxilium ferendum promptis paratisque. Horum hominum virtute atque promptitudine confirmor – praecipuê autem iisdem terra nostra ita confirmatur, ut fiat pulchrior et amabilior et humanior.

In historiâ Natalis Domini olim homines stellâ ducti sunt ad destinatum perquam extraordinarium – ad infantulum humanum. Talem stellam exopto omni homini in terrâ nostrâ viventi, stellam, qua îdem necnon omnis nostri ducatur ad hominem alterum.

Itaque vobis exopto: Sit vobis Natale Domini benedictum!"

**Allocutionem Ioachimi Gauck  
Germaniae Praesidis foederalis  
in Latinum convertit  
Nicolaus Groß  
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>



# **Recitator**

Fabula romanica  
quam theodiscê scripsit  
**Bernhard Schlink**

in Latinum convertit  
**Nikolaus Groß**



Editio prima  
in domo editoriâ, quae appellatur  
**LEO LATINUS**

Senden in oppido Bavariae Suebicæ  
a. 2012

**Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completæ adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Liber constat 45 € (quadraginta quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6. TOLLE LEGE !**

<http://www.welt.de/kultur/article108397367/Alles-Gute-zum-Geburtstag-Hotzenplotz.html>

27.07.12

## **Iubilaeum quinquagesimum**

**In diem natalem optima quaeque, Raptor  
Hotzenplotzi!**

Studentibus duodeseptuagenariis visa est deesse descriptio, ex qua appareret, qua Hotzenplotzius esset condicione sociali, at puellis puerisque deesse videbatur prorsus


nihil: Otfridi Preußleri vir septem cultris instructus ingreditur aetatis annum quinquagesimum. Is et magus Zwackelmannus sunt partes pueritiae nostrae.

*Scriptit Wieland Freund, in Latinum convertit Nicolaus Groß*



Vix ulla puella, vix ullus puer, quin legerit hunc librum aut recitatum audiverit: "De Raptore Hotzenplotzio". Qui liber est unus e Germaniae libris puerilibus gratissimis. Die primo mensis Augusti a.2012 huius libri parvulorum classici celebrabitur iubilaeum quinquagenarium.





Is autem illum librum scripsit: *Otfridus (Otfried) Preußler* (haec imago est facta a.2003), qui a. 1923 natus est in vico *Reichenberg* in Bohemiâ boreali sito.



Eum quoque novit nostrâ in patriâ ferê omnis homo: magnum et illustrem *Petrosilium Zwackelmannum*, hac in imagine per âera volitantem.



In diem natalem huius libri puerilis quinquagesimum facta est editio novis coloribus picta. Quae editio hac in imagine exhibetur a *Susannâ Preussler-Bitsch*, filiâ actoris.

Historia «Raptoris Hotzenplotzii» - libri Germanicae rei publicae foederalis omnium illustrissimi – incohatur – quod facile intellegitur in rebus raptoris - scripto monitorio. Aestate anni 1961 Dominula *Lotte Weitbrecht*, directrix domûs editoriae Stutgardiensis, quaerit e Domino *Otfrido Preußler*, magistro scholae popularis Rosenhemiensis, quidnam factum sit de manuscripto sibi promisso.

Nunc autem non agitur de "Hotzenplotzio", sed de fabulâ multo funestiore, de libro quodam corvinae nigritudinis; periculum est, ut Otfridus eum scribens incidat in insaniam; annis post îdem liber edetur sub titulo *Crabati*.

Interim Otfridus, ut Dominulae *Weitbrecht* confitetur, haeret in materiâ *Crabati* defixus. At Stutgardiam scribit fieri posse, ut studeat „fabulae Casparuli“ scribendae. Reliqua tam celeriter fiunt quam interdum res fiunt in „Hotzenplotzio“. Verba, quae sunt "Dictum – factum", in aliquo loco huius libri leguntur simplicitate illâ perfectê conscripta, qua „Hotzenplotzius“ insigniter praecellit, liber, in quo omnis sententia

composita est subtilitate artificiosâ. Nullum verbum superest, nullum deest – semper verbum quadrat, semper est loco aptissimo.

### **Dictaphonum ad narrandum adhibitum**

Sed "Hotzenplotzius" minus stilo scriptus est quam ore pronuntiatus. Otfridus Preußler semper narravit ambulans. «Vectura sum attam vestram, qui hodie ambulans dictabit». Haec verba apud Preußleros fuerunt alata. "Atta" deinde expositus domum ibat per decem quindecimve chiliometra. Aut summo mâne ex horâ sextâ et dimidiâ pedibus ibat ad scholam Rosenhemiensem.

Domina Preußler autem et chartophylacium et filias – Renatam, Reginam, Susannam - autocineto vehebat post Otfridum ambulantem. Inde ex annis sexagenariis exeuntibus Otfridus usus est dictaphono. *Susanna Preußler-Bitsch*, filia minima natu, adhuc recordatur dictaphoni stridorem atque quiritationem mechanicam, quas audiebat, cum pater taeniam revolvebat. Quae doctrix scientiae cultûs civilis archivo litteraturae Preußleriano moderatur ex anno 2002; Otfridus Preußler uxore mortuâ recessit ad gerontocomium.

Otfridus, ut est 89 annos natus, raro tantum in publicum prodit; colloquia interrogatoria omnino nulla iam concedit. Sed interdum fit, ut – receptione exclusâ – utatur telephono "Hîc loquitur Otfridus Preußler" dicens. Hic vir non loquitur nisi sententiis integris.

### **Manuscriptum Hotzenplotzii archivo inesse Preußleriano**

Manuscriptum Hotzenplotzii hodie ita inest archivo Preußleriano ut innumerae epistulae parvulorum, qui bis rogitando assecuti sunt, ut Otfridus opus Hotzenplotzii continuaret. Interim charta vilis aetate coepit flavescere, numeri autem folio primo litteris Preußleri magistro dignis rectis formosisque inscripti optimê sunt legibiles: De Raptore Hotzenplotzio. Inceptum: d.13. m.Febr. a.1962. Per quinquaginta dies scriptum est in aeternum.

At „Hotzenplotzius“, qui videtur Otfrido indesinenter limanti atque durê laboranti facilis fuisse scriptu, intellegi non potest nisi unâ cum „Crabato“, quem per decennium aegrê aut interdum omnino non perrexit perficere.

Hi libri praestantissimi ambo faciunt partem operis Preußleriani gravissimam necnon manifestant duas inclinationes artis auctoris. Nam cum uno libro lector reducitur ad Otfridi pueritiam felicem, quam degit in *Reichenberg* vico in Bohemiâ boreali sito, altero in calamitatem saeculi vicesimi immensam.

Molinâ in „Crabato“ descriptâ noctibus horrendis permoluntur ossa humana; Crabatus, puer molinarius, se liberare debet ex manibus magistri diabolici rapacibus. Manifestum est istum magistrum in memoriam revocare Germanicae historiae partem maximê terribilem fabulâque Crabati a Preußlero retractari socialismum nationalem. Haec autem retractatio interdum facta est ultra vires Otfridi. Qui «Crabato» factus est aegrotus. Chronica inflammatione oculi affectus auctor per annum dimidium gessit integumentum oculi – tale, quale gerit magister Crabati.

### **Fabula ratione theatri Casparuli narrata**

At "Raptore Hotzenplotzio" scribendo auctor sanatus est. Quae fabula ex initio iam composita erat ratione theatri Casparuli. Liber enim constat e scaenis unâ alteri additis, quibus interpositi sunt breves textûs narratorii. Personae autem omnes ex lusu Casparuli more tradito sunt depromptae:

Casparulus, Iosephulus, raptor, astyphylax, magus, fata. Ne crocodilus quidem debet deesse, qui primo in tomo adhuc effertus pendet supra mensam magi Zwackelmanni scriptoriam. In tomo autem, c.t. "Nova de Raptore Hotzenplotzio", îdem crocodilus technâ magicâ in *Wastium* canem taxoninum mutatus denique intrat scaenam fabulae pupariam.

Domus autem avi, silva raptoria, castellum magicum, domus siphonum – haec omnia sunt parascenia\*, sed iisdem simul lector reducitur ad Preußleri pueritiam. Nam sub tecto domus parentium tam aestate quam hieme semper statutum erat scaena puparum." Ibi supra frater egoque unâ cum parvulis vicinis ... unus alii fabulas Casparuli agebamus". Praeter „Doctorem Faustum“ praeferebamus fabulas equitum raptorumque, sed etiam fabulas Casparuli exoticas more Comitum *Pocci*."

### **Difficile fuit invenire raptoris nomen**

Facile erat personis theatri solitis nomina imponere, sed difficile invenire ipsius raptoris nomen. At nomine si caruisset, iste furcifer tam difficilis comprehensu fuisset quam Rumpelstultulus. Cum nomen tandem esset inventum, eodem quoque in memoriam revocata est Otfridi pueritia: «*Hotzenplotz*» usque ad mensem Martium anni 1945 vocatum erat oppidulum in «Silesiâ Moravianâ» situm, trecentis ferê chilometris a vico *Reichenberg* remotum.

---

\* parascenium, -ii n. (cfr neogr.) i.q. theod. *Kulisse*.

Hodie illud oppidum in Tsechiâ situm est et vocatur *Osoblaha*. In hac quoque re „Hotzenplotzius“ est pars operis Preußleriani „Crabato“ contraria. In «Crabato» enim e nomine cuiusdam mythi Sorabici petenda fuit fabula; in „Hotzenplotzio“ necesse fuit e fabulâ petere nomen.

Mense Novembri a.1961 Dominula *Lotte Weitbrecht* iam monuit: Preußlero fabulam suam Casparuli certê perficiendam esse usque ad mensem Februarium a.1962, nam Dominum *Tripp* iam esse destinatum ad hoc opusculum lineamentis instruendum. *Franz Josef Tripp* (1915 - 1978) denique omnes tres tomos Hotzenplotzianos lineamentis exornavit (necnon "Parvum Phantasma" („*Das kleine Gespenst*“) et *Michaelis Ende* "Iacobellum Botonem" („*Jim Knopf*“). At cum impressio quattuor colorum esset nimis sumptuosa, nullo colore nisi nigro et albo.

Hotzenplotzius autem versicolor, quem perficiendum Preußler diu exoptaverat, nunc demum, die raptoris natali quinquagesimo, ad veritatem adductus est. *Mathias Weber* enim lineamenta Trippiana pigmentis ornavit (tres tomi versicolores modo in Aedibus Thienemannianis sunt editi).

### **Septem et dimidium miliones librorum esse venditos**

Restat ut narretur historia receptionis fabulae Hotzenplotzianae, quae partim successit parum feliciter – non parvulis, sed parentibus. Parvuli enim Hotzenplotzium statim amaverant – 64 editiones, 30 versiones et septem dimidiusque miliones exemplorum venditi sunt indicia manifesta.

E contrario insulsi propugnatores illius parvae revolutionis cultualis Germanicae, quae facta est annis sexagenariis septuagenariisque, libellum Hotzenplotzii primo vehementer vitiligaverunt. "Mactate elephantos caeruleos!" fuit titulus cuiusdam scriptiunculae pugnacis, qua auctor accusatus est, quod parvulos „preußlerianizaret“ („*Verpreußlerung*“) et faceret ineptum cultum pueritiae („*Kindertümelei*“).

Alius quidam zelotes sub titulo „Quomodo parvuli depraventur“ („*Wie man Kinder vermurkst*“) questus est, quod „Hotzenplotzio“ criminalitas non explicaretur esse „problema societatis“. Ubinam manere „circumiecta socialia“ („*das Milljöh*“)?

Otfridus his simultatibus interdum dolebat, sed filiae sciebant patrem consolari. Quandodumque in nuntiis televisoriis radiophonicisve clamitabatur "*Ho-Ho-Ho Chi Minh!*", filia minima natu respondebat nomine clamitando "*Ho-Ho-Hotzenplotz!*". Quod didicerat a sororibus maioribus natu. Illud „*Ho-Ho-Ho Chi Minh*“ hodie iam pridem spectat ad

historiam ideologiae hesternae. At „Ho-Ho-Hotzenplotz“ spectat ad historiam pueritiae.

**Symbolam ephemeridis “Welt”  
a Wieland Freund conscriptam  
in Latinum convertit  
Nicolaus Groß  
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

# **DE RAPTORE HOTZENPLOTZIO**

FABULA CASPARULI

AB

**Otfried Preußler**

NARRATA,

A

**Nikolaus Groß**

IN LATINUM

CONVERSA



1.ed. originalis a.1962 facta est  
in Aedibus K. Thienemanns Stutgardiensibus  
Versio Latina prima edetur  
a. 2013

Senden in oppido Bavariae Suebicae  
in domo editoria, quae appellatur



LEO LATINUS

**PRAEFATIUNCULA TRANSLATORIS**

***Cara Lectrix, care Lector,***



**magno cum gaudio Tibi trado hunc libellum Otfridi Preußleri Latinâ veste indutum. Nam cum magister expertus essem ĩdem opusculum etiam puellis puerisque Latinam linguam discentibus gratissimum esse, non dubitabam quin fabula Hotzenplotziana verê digna esset, quae togâ donaretur.**

**Accedit, quod hōc ipso anno celebratur iubilaeum Hotzenplotzii quinquagenarium. Otfridus enim Preußler libellum suum notissimum d.13. m.Febr. a.1962 perfecit. Interim factae sunt sexaginta quattuor editiones, vendita sunt exemplorum Hotzenplotzii septuagies quinquies centena milia, id est septem dimidiusque miliones! Translationes autem libelli raptorii omnium pulcherrimi factae erant, ni fallor, triginta quattuor; ergo haec Latina, quam nunc in promptu habes, est tricesima quinta. Raptor Hotzenplotzicus vigore Latino corroboratus utinam vivat crescat floreat!**

**Senden ex oppido Bavariae Suebicae,  
mense Augusto exeunte a. MMXII**

**Nicolaus Groß**



**LEO LATINUS**

## VIR SEPTEM CULTRIS INSTRUCTUS



Aliquando sole splendente avia Casparuli, cum insideret scamno ante domunculam suam sito, coffeam molebat. Casparulus eiusque amicus Iosephulus aviae in diem natalem donaverant novam molinulam cafeariam a se ipsis excogitatam atque constructam. Cum molinulae cûpa circumrotabatur, audiebantur modi musici cantilenae, quae incipit verbis ‘Omnia renovat mensis Maius’ – et hâc cantilenâ aviae nulla erat gratior.

Ex quo avia habebat novam molinulam cafeariam, coffeâ molendâ tantopere delectabatur, ut altero tanto plus cafeae biberet quam antea. Hodie quoque molinulam iterum iam compleverat molere perrectura – tum subito in horti fruticibus stridorem atque crepitum audivit et asperam vocem clamantem:

«Cĕdo istam rem!»

Avia autem stupefacta oculos sustulit perspicillumque suum nasiceps huc illuc movebat.

Ante eam stabat vir alienus, nigrâ barbâ hirsutâ atrocique naso adunco faciei insito. Qui petasum gerebat flacculum capiti impositum, cui infixâ

erat penna rubra, necnon manu dextrâ tenebat pistolium. Sinistrâ autem manu îdem vir indicavit molinulam aviae cafeariam.

«Cĕdo istam, iam dixi!»

At avia non est territa.

«Quid tibi vis? Insane!» eadem evocavit indignata. «Quomodo huc invasisti – et quid – edepol - tibi succurrit, ut me inclamares? Quisnam es?»

Tum vir alienus tantum cachinnum sustulit, ut penna petaso suo insita valdĕ vacillaret.

«Num legis ephemeridem, avia? Fac deliberes quam acerrimĕ!»

Nunc demum avia vidit latae zonae viri coriaceae infixum esse acinacem atque septem cultros. Tum avia expalluit et tremulâ voce interrogavit:

«Esne tu fortasse – Raptor Hotzenplotzius?»

«Is sum!» dixit vir septem cultris instructus. «Noli ambages agere, tales res mihi displicent. Cĕdo statim molinulam cafeariam!»

«At tu eam non possides!»

«Gerrae ! Păx !» Raptor Hotzenplotzius vocavit. «Fac sine morâ quod postulo ! Numerabo usque ad numerum tertium...»

Et pistolium sustulit.

«Rogo, ne hoc facias !» avia dixit. «Non licet tibi mihi auferre molinulam cafeariam. Quam accepi donum mihi in diem natalem datum. Cum cûpa eiusdem circumrotatur, auditur cantilena mihi omnium dilectissima».

«Hac de causâ!» Raptor Hotzenplotzius fremuit. «Ego quoque volo habere talem molinulam cafeariam, qua auditur cantilena, cum cûpa circumrotatur. Cĕdo istam!»

Tum avia altĕ gemuit et illi molinulam dedit. Quidnam aliud faceret?

Cottidie in ephemeride legebatur, quam malus homo esset iste Hotzenplotzius. Omnes homines istum perhorrescebant, ipse etiam astyphylax Dimpfelmoser, qui esset vigil publicus.

«En tandem sapis. Quidni statim dedisti?»

Animo contento Hotzenplotzius grunniens molinulam aviae cafeariam manticae suae indidit. Deinde oculo sinistro compresso dextrum acriter in aviam coniecto dixit:

«Hoc factumst – et nunc bene attende! Tu nunc fac maneat huic scamno insidens neve ullo modo te moveas. Simul submissĕ numeres usque ad numerum nongentesimum nonagesimum nonum.»

«Curnam?» avia interrogavit.

«Ne quaeras!» Hotzenplotzius respondit. «Si numeraveris usque ad numerum nongentesimum nonagesimum nonum, licebit tibi aliquem in auxilium vocare. At ne voces uno momento prius, hoc tibi dico! Alioquin tibi aliquid accidet! Intellexistine?»

«Intellexi» avia dixit ore blaeso.

«Ne coneris me deruncinare!»

Raptor Hotzenplotzius aviae ut valediceret, ultimo pistolium eius naso supposuit. Deinde per saepes horti transiit et evanuit.

Avia autem Casparuli facie pallidissimâ scamno post domunculam sito insidens tremebat. Raptor evaserat, necnon ablata erat molinula cafearia.

Avia habuit moram longiusculam, dum tandem coepit numerare.

Ea obsequenter numeravit usque ad numerum nongentesimum nonagesimum nonam.

Unum, duo, tria, quattuor ... Neque nimis celeriter neque nimis lentê.

At cum esset animo sollicito, avia toties falso numeravit, ut ei duodecies minimum denuo incipiendum esset.

Cum denique tamen numerum nongentesimum nonagesimum sonum assecuta esset, clamorem edidit perterricrepum.

Et deinde animo relicta est.

## CRABATUS SIVE MOLINA SATANICA

Fabula Otfredi Preußler a Nicolao Groß in Latinum conversa

### 1. Praefanda



Foto: Francis Koenig © Thienemann Verlag

#### De auctore

*Otfridus (Otfried) Preußler* natus est d.20.m.Oct. a.1923 in Bohemiâ. Abiturio superato Otfridus miles factus Bello Mundano altero a.1944 a Russis in vincula coniectus est. Îdem post quinque demum annos, aetate 26 annorum, dimissus est. Feliciter accidit, ut eius cognati et amica fugere possent Rosenhemiam. Idem in oppidum Otfridus iit et eodem anno amicam in matrimonium duxit.

Cum parentes iam essent magistri, Otfridus quoque constituit, ut disceret docere. Ut eo tempore, quo tirocinium magistrale fecit, satis pecuniae mereretur, operabatur munere diurnarii birotâ vehentis fungens et coepit fabellas pueriles scribere pro emissionibus radiophonicis. Ex a.1953 munere functus est magistri et rectoris scholaris.

Otfridus cum factus esset pater trium filiarum, solebat iisdem recitare fabellas a se ipso confictas, ut obdormiscerent. Unam ex iisdem fabellis Otfridus publicavit a.1956: quae inscribitur „*Der kleine Wassermann*“ (Aquariolus). Postea îdem auctor paulatim in claritudinem pervênit. Itaque Otfridus a.1970 a munere rectoris scholaris destitit et factus est auctor lîber. Eiusdem opera clarissima sunt „*Der Räuber Hotzenplotz*“ (De Raptore Hotsenplotzio), „*Die kleine Hexe*“ (Magula) necnon „*Crabatus*“.

<http://www.preussler.de>

## 1.2. Summarium e Wikipediâ excerptum et Latinê redditum



CLAUSSEN-DRING-SUPFA  
www.krabat-blog.de TM & © 2004 F&F and its related entities. All Rights Reserved. Property of F&F.

**Krabat** est liber iuvenilis *Otfredi Preußler* a.1971 in lucem editus. Argumentum huius libri confictum est secundum mythum Soraborum sive Venedorum popularem. Eâdem fabulâ narratur de puero Crabato, qui tiro molitoris magistri magici factus et illius maleficiis satanicis obnoxius studet libertatem suam recuperare. Denique amor vincit potestates obscuras.

### Index contentorum

- 1 Argumentum Crabati
- 2 Quomodo fabula exorta sit
- 3 Praemia
- [4](#) Adaptationes artificiosae
  - 4.1 Crabatus ad cinematata redactus
  - 4.2 Crabatus auditorius
  - 4.3 Crabatus in dramata et melodramata redactus
- 5 Litterae ad Crabatum spectantes
- 6 Iunctiones interretiales
- 7 Fontes

## 1 Argumentum Crabati

Fabula agitur in Lusatiâ (sorabicê *Łužica*) tempore Magni Belli Borealis, de Crabato puero orbo quattuordecim annos nato, qui tiro fit in molinâ, quae sita est in Uligine Coselianâ (*Koselbruch*), prope vicum Nigricolmiam (*Schwarzkolm*). At iam brevi post Crabatus animadvertit hanc molinam esse scholam magicam, in qua ipse unâ cum undecim discipulis ceteris a Magistro Molitore instituitur arte nigrâ.

In initio Crabato placet tirocinium molitorium idemque magicum. Qui admiratione commovetur potestatis magicæ, quam habeat in alios homines. Necnon in familiaritatem venit sociorum molitoris. Amicus Crabatus familiarissimus fit Antonius, socius maior natu, qui sibi fit exemplo. At ne per annum quidem haec amicitia durat, nam Antonius primo iam anno exeunte moritur – dicitur hoc factum esse infortunio – et proximo anno ineunte novus tiro in locum Antonii succedit. Etiam altero anno exeunte unus e sociis moritur mysterialiter – cuius in locum iterum supponitur tiro novicius. Crabatus paulatim et gradatim perspicit istunc lusum horribilem, cuius ipse particeps factus est: A Magistro Molitore, qui animam suam diabolo oppigneravit, omni anno exeunte unus e discipulis suis immolandus est „Domino Patrino“ („*dem Herrn Gevatter*“). Alioquin sibi ipsi moriendum esset.

Crabatus, ut Antonium amicum suum aliosque socios interfectos ulciscatur, artem nigram quam optimê exercet et denique fit molitoris discipulus omnium optimus. Voluntas autem Crabati confirmatur amore cuiusdam puellae (quae appellatur Cantorissa, praecantatrix cantuum paschaliū); eam clam convenit, sed puellae nomen ignorat.

Denique Georgius, unus e sociis, Crabato patefacit esse viam, qua magister superetur: Necessè esse, ut puella Crabatum amans magistrum roget, ut Crabatum dimittat. Examine quod sequitur decertatur, cui moriendum sit: magistro an amantibus. Amantes si superaverint, etiam omnes ceteri socii liberabuntur ab exsecratione molinae nigrae. At exsecratione sublatâ etiam tollentur sociorum facultates magicæ, ut iidem nihil sint nisi socii molitores.

Denique magister Crabato aliam quoque viam patefacit: Crabatum posse etiam examine omisso fieri magistri successorem, sed Crabato recipiendum esse contractum cum „Domino Patrino“ factum et loco sui ipsius unum ex aliis sociis immolandum, hōc anno omnique futuro. At Crabatus animo firmo istanc magistri oblationem respuit: se nolle culpam contrahere aut culpae fieri participem interfectione consociorum. Itaque Crabatus unâ cum puellâ suâ eligit viam amoris. Puella autem magistrum

cum rogaverit, ut Crabatum dimitteret, a magistro subicitur examini: Cantorissae oculis obvelatis inveniendus est Crabatus amatus inter undecim socios versans. Tum Crabatus timore corripitur puellae amatae: qui sibi videtur in culpâ esse, quod puellae moriendum sit – at Cantorissa cum sentiat Crabatum timere de vitâ Cantorissae - non de propriâ – illum ideo agnoscit; quo fit, ut examen superet: Crabatus eiusque consocii sunt liberi. Ultimâ nocte anni moritur magister, molina incendio absumitur: - malum victum est amore.

### **Quomodo fabula exorta sit**

*Otfridus Preußler* Crabatum scripsit – quibusdam spatiis interpositis – per decem annos. Exemplo sibi fuit quidam Sorabicus mythus Crabati popularis, qui agitur saeculo 17.o exeunte prope vicum Nigricolmiam (*Schwarzkollm*) in Lusatiâ Superiore (*Oberlausitz*), inter *Hoyersverdam* (*Wojerecy*) et *Camentium* (*Kamenz*, *Kamjenc*) sitam. De tirone, qui debet magistro suo resistere eundemque ad pugnam provocare, in multis aliis mythis narratur, necnon de amore, quo tiro redimitur. Otfridus de libro suo dicit haec:

*„Meus Crabatus est ... mea historia, historia hominum mei coaequalium omniumque iuvenum, qui in potestatem eiusque illecebras incidentes iisdem irretiuntur.“*<sup>[1]</sup>

Prima editio Crabati Otfridiani facta est a.1971 in Aedibus *Arenae*, ex anno 1981 hîc liber êditur in Aedibus *Thienemannianis*. Images et editionis communis et editionis decorissimae a.2005 factae, quae est colore sepiaceo, delineati sunt ab *Herberto Holzing*. Liber Crabati interim conversus est in 31 (triginta unam) linguas. (*Sequetur versio tricesima secunda, quae est Latina! adn. interpretis*).

### **Praemia**

*Krabat* liber Otfridi Preußler a.1972 honestatus est Praemio Libri Iuvenilis Germanico et Polonico; a.1973 honestatus est „Stilo argenteo Roterodamensi“, i.e. praemio libri iuvenilis Batavico; Praemio libri iuvenilis Germanico et Polonico; Universitatis Patavinae Praemio Libri Iuvenilis Europaeo; Praemio Associationis Librariae Americanae“; a.1977 praemio libri iuvenilis ab unione editorum Polonorum donato.<sup>[2]</sup>



## Adaptationes artificiosae

### *Crabatus ad cinemata redactus*

Secundum librum Preußlerianum a.1977 a Bohemo *Karel Zeman* sub titulo *Čarodějův učeň* confectum est cinema animatum laudatissimum. In versione Theodiscâ vox magistri molitoris edita est a *Friderico (Friedrich) Schütter*.

*Marco Kreuzpaintner* dissignante annis 2006-2008 confectum est cinema. Quod primum actum est d.23. m.Sept. a.2008 in cinematêo „*Lichtburg*“ urbis *Essen* et e die 9. m.Oct. in cinematêis Germanicis spectatur.

### Crabatus auditorius

- Sub notâ mercatoriâ *Karussell* a.1983 confecta est series ludorum auditoriorum tripertita, in qua *Otfridus Preußler* librum suum recitat.
- A.2008 eodem tempore ac cinema Crabatianum in domo editoriâ *Jumbo* editus est ludus auditorius, quo narratur fabula Preußleriana et interponuntur voces cinematis originales.

### Crabatus in dramata et melodramata redactus

- Melodrama *Krabat* (1982) a *Caesare Bresgen* secundum versionem scaenicam Preußlerianam compositum a.1983 primo in scaenâ actum est.
- A.1994 fabula theatrica a *Ninâ Achminow* composita, quae inscribitur *Krabat*, in Monacensi Theatro Principis Regentis primo acta est.
- M.Maio a.2007 *Friderici (Frederik) Zeller* melodrama *Krabat* primo actum est in Manhemienensi Theatro Nationali, intra programma, quod dictum est *Junge Oper* (melodrama iuvenile).
- A.2001 Crabati argumentum receptum est a grege musico *Stillste Stund* cantico *Mühle mahlt* (Molit molendînum).
- A.2008 grex musicus ASP mythum Crabati cantavit cyclo quindecim canticorum. **AUDI CANTICA CRABATIANA:**
- **Krabat**
- [http://www.youtube.com/watch?gl=DE&hl=de&v=7PJOU\\_POEoo](http://www.youtube.com/watch?gl=DE&hl=de&v=7PJOU_POEoo)
- **Die Teufelsmühle**
- <http://www.youtube.com/watch?v=BguVqoxzxxk>
- **Denn ich bin der Meister**
- <http://www.youtube.com/watch?v=Qe6AymsKjpY>

- **Fluchtversuch**
- <http://mp3.li/index.php?q=Fluchtversuch>
- **Elf und einer**
- [http://www.youtube.com/watch?v=\\_GQYmwcohU0](http://www.youtube.com/watch?v=_GQYmwcohU0)

### Litterae ad fabulam Crabati spectantes

- Otfried Preußler: *Krabat*. dtv, München 1980, [ISBN 3-42325-087-9](https://www.isbn-international.org/product/3-42325-087-9)
- Otfried Preußler: *Krabat. Schulausgabe mit Materialien*. Thienemann, Stuttgart 1988, [ISBN 3-52214-410-4](https://www.isbn-international.org/product/3-52214-410-4)
- Otfried Preußler, Heinrich Pleticha: *Krabat – Lehrerbegleitheft*. Thienemann, Stuttgart 1988, [ISBN 3-52214-450-3](https://www.isbn-international.org/product/3-52214-450-3)
- Johannes Diekhans (Hrsg.), Timotheus Schwake: *Otfried Preußler, Krabat*. Schöningh, Paderborn 2007, [ISBN 3-423-25087-9](https://www.isbn-international.org/product/3-423-25087-9) (Unterrichtsmodell in der Reihe EinFach Deutsch)
- Heiko Fritz: *Das Mysterium der Mühle. Mit einer Deutung der Geschehnisse in Otfried Preußlers Roman „Krabat“*. 1. Auflage. Igel, Oldenburg 2002, [ISBN 3-89621-147-1](https://www.isbn-international.org/product/3-89621-147-1)

### Iunctiones interretiales

- De Crabato refertur in paginâ Otfridi Preußler interretiali
- Opus Crabati recensetur ab ephemeride „Preußischer Landbote“

### Fontes

1. ↑ <http://www.preussler.de/multimedia/krabat-index.html>]
2. ↑ <http://www.preussler.de/werke/jugendbuecher01.html>
3. ↑ *Krabat (1977)* in „[Internet Movie Database](https://www.imdb.com/) (Anglicê)
4. ↑ *Krabat (2008)* in der [Internet Movie Database](https://www.imdb.com/) (Anglicê)
5. ↑ [http://www.karussell.de/krabat\\_das\\_1.\\_jahr\\_otfried\\_preuszler\\_19833.jsp](http://www.karussell.de/krabat_das_1._jahr_otfried_preuszler_19833.jsp)
6. ↑ <http://www.jumboverlag.de/krabat/index.html>

[http://de.wikipedia.org/wiki/Krabat\\_\(Preu%C3%9Fler\)](http://de.wikipedia.org/wiki/Krabat_(Preu%C3%9Fler))



**Magus Magister Molitor (*Christian Redl*) et Crabatus (*David Kross*)**



**Cantorissa Crabati amica amatissima (*Paula Kalenberg*)**

**Ecce 39 imagines cinematatis Crabatiani:**

<http://www.filmstarts.de/kritiken/73775-Krabat/bilder/Scene%203.html>

Ecce cinema introductorium:

<http://www.youtube.com/watch?v=sUd43YtS20Y>

Ecce quomodo condocefacti sint corvi Crabatiani:

<http://www.youtube.com/watch?v=vuHRE6al2rk&feature=user>

Ecce quomodo vestimenta facta sint Crabatiana:

<http://www.youtube.com/watch?v=3EHZkVwLVVU&feature=user>

Haec hactenus de Crabati fabula et cinemate. Mox in domo Leonis Latini edetur versio Crabati Latina completa. Utinam vobis placeat!



DE OTFRIDI PREUSSLERI CRABATO SCRIPSIT

NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

**CRABATUS SIVE MOLINA SATANICA**  
**Fabula ab Otrifido Preußler conscripta**  
**et a Nicolao Groß in Latinum sermonem conversa**

---

**ANNUS PRIMUS**

**MOLINA, QUAE SITA EST IN ULIGINE COSELIANA**

Tempore, quod interest anno ineunti et Diei Trium Regum, Crabatus, puer quattuordecim annos natus, duobus aliis Venedis pueris mendicis se associaverat et quamvis Serenissimus Princeps Propitius, Elector Saxoniae, interdixisset, ne quis in terrâ suâ ipsissimâ mendicaret neve circumvagaretur, (sed feliciter accidit, ne iudices ceterique magistratûs hanc rem nimis accuratê custodirent), illi pueri vestibus Trium Regum induti in regione Hoyersverdiensi ab uno vico ad alium migrabant: coronae stramineae cappis circumpositae iis erant pro coronis regiis; necnon unus ex illis, Lobosus, hilaris puerulus Maucivillanus, cum personam gereret régis nigritani, omni mâne se oblinebat fuligine fornacis. Îdem superbê ceteris praeferabat stellam Bethlehemicam, quam Crabatus clavo ad ramum affixerat.

Quandocumque praedium adveniebant, Lobosum in medio loco ponebant et cantabant: „Hosianna filius Davidis!“ – id est: Crabatus tacitus labia tantum movebat, nam modo hircuitalliebat. Pro eo ceterae maiestates maiore voce cantabant, ut illud damnum compensaretur.

Multi rustici cum in annum ineuntem porcum mactavissent, Dominos Rêgês e Terrâ Orientali oriundos donabant botulis et lardo. Alibi iisdem donabantur mâla et nuces et pruna furno tosta, interdum panis mellitus et liba adiposa et crustula anisata et stellae cinnamomeae. „Hic annus bene incohatur!“ vespere diei tertii Lobosus dixit, „utinam sic pergatur usque ad diem Silvestri!“ Tum ceterae maiestates duae annuentes gemuerunt: „Nil obstat!“

Proximam noctem degêrunt in Petrilucanae officinae ferrariae tabulato fenili; ibidem factum est, ut Crabatus primum omnium somniaret rem illam miram.

Undecim corvi in conto sedentes Crabatum aspectabant. Îdem vidit in conto esse locum vacuum, sinistrâ in parte extremâ. Deinde Crabatus audivit vocem. Quae vox erat rauca, videbatur venire ex âere, e loco remoto, Crabatum nomine appellavit. Qui non ausus est respondere. „Crabate!“ iterum audivit – et tertio: „Crabate!“ Deinde illa vox dicit: „Vĕni Nigricolmiam in molinam, quod tibi non erit damno!“ Tum corvi de conto surgentes crocitaverunt: „Obtempera voci magistri, obtempera!“

Hac re Crabatus experrectus est. „Babae quales res somniavi!“ secum cogitans in alterum latus volutus obdormivit. Postridie cum comitibus suis perrexit migrare, et quandocumque corvi illi sibi in mentem reveniebant, ridebat.

At proximâ nocte somnium est iteratum. Iterum vox Crabatum nomine appellavit, iterumque corvi crocitaverunt: „Illi obtempera!“ Quo factum est, ut Crabatus hanc rem curaret. Qui postridie mâne ex agricolâ, apud quem pernoctaverat, quaesivit, num vicum novisset, cui nomen esset Nigricolmia aut simile.

Agricola recordatus est se hęc nomen audivisse. „Nigricolmia...“ dixit cogitabundus. „Ita – qui vicus situs est in Silvâ Hoyerswerdianâ, ad Viam Leippianam: ibi est vicus tali nomine.“

Postridie tres rĕges pernoctaverunt in vico Magnipartivicio. Hĭc quoque Crabatus somniavit de corvis et de voce, quae venire videbatur e sublimi; et omnia eodem ipso modo facta sunt ac in somnio primo et secundo. Tum Crabatus constituit, ut voci obsequeretur. Primâ luce, sodalibus adhuc dormientibus, ĩdem furtim e fenili abiit. Ad portam praedii incidit in ancillam puteum adeuntem. Hanc rogans: „Saluta“ inquit „illos ambos a me. Fuit mihi abeundum.“

Crabatus ex uno vico ad alium iter perguit interrogando illum vicum quaerens. Vento cum plumae nivales faciei adigerentur, Crabato iterum iterumque detergendi erant oculi. In Silvâ Hoyerswerdiensĭ a viâ aberravit, per integras horas duas quaeritavit, ut reperiret viam Leippianam. Ita factum est, ut vespere demum adveniret vicum destinatum.

Nigricolmia talis vicus erat quales alii quoque vici ericetales: domûs et fenilia longâ lineâ in utroque viae latere sitae, altâ nive oblecta; nubeculae fumi supra tecta pendentes, sterquilinia vaporantia, boves mugientes. In vivario anatum pueri puellaeque patinabant magnâ voce clamantes.

Crabatus frustrâ circumspiciendo quaeritabat molinam. Senex fascem sarmentorum ferens secundâ viâ advĕnit: quem interrogavit.

„In vico nostro non habemus molinam“ Crabato responsum est.

„Et in propinquo?“

„Si quaeris *istud...*“ Senex pollice trans umerum indicavit. „In Uligine Coselianâ extremâ, ad Aquam Nigram, ibi exstat molina. At...“ Senex ipse sermonem suum interruptit, quasi iam nimium edixisset.

Crabatus gratiis actis conversus est in eam directionem, quam senex sibi indicaverat. Paucis gradibus factis ab aliquo manica Crabati est leviter tacta; reversus conspexit senem illum fascem sarmentorum ferentem.

„Quid vis?“ Crabatus interrogavit.

Senex propius accedens vultu anxioso: „Velim“ inquit „te monere, puer. Evita Uliginem Coselianam et molinam ad Aquam Nigram sitam, sunt loca horrenda...“

Paulisper Crabatus cessavit, deinde senem stantem reliquit et iter suum perrexit, e vico. Cum mox obtenebresceret, ei attendendum erat, ne a semitâ aberraret; frigebat. Cum caput convertibat, ibi, unde venerat, lumina videbat enitescere: hîc unum, illîc alius.

Num praestaret redire?

„Nequaquam“ Crabatus fremens inquit „Num sum puerculus? Non nocet aspectare.“

Crabatus aliquatenus per silvam caligavit more caeci in nebulâ versantis, deinde incidit in locum collucatum. Cum ex arboribus esset proditurus, compage nubium diruptâ processit luna, ut subito omnia lucerent lumine frigido.

Nunc Crabatus conspexit molinam.

Ecce eadem ante puerum erat sita, in nivibus delitescens, obscura, minax, ingens bestia maligna, quae praedae insidiabatur.

„Nemo me cogit, ut istuc eam“ Crabatus cogitavit. Deinde ipse ignavum se increpans animo capto ex umbrâ silvae prodiit in propatulum. Audacter molinam adiit, ianuam invênit clausam, pulsavit.

Pulsavit semel, pulsavit iterum: intrâ nihil motum est. Nullus canis latravit, nullus clavium fascis striduit – nihil.

Crabatus tertio pulsavit, ut sibi dolerent ossa manuum.

Etiam nunc in molinâ omnia remanserunt quieta. Tum ansam deprimens conatus est aperire: ianua aperta erat, non erat obserata, Crabatus in andronem ingressus est.

Intrâ erant silentium funestum, tenebrae nigerrimae. At in parte posticâ, in androne extremo, apparuit lux quaedam tenuis. Lux tenuissima.

„Ubi lux est, sunt homines quoque“ Crabatus secum cogitavit.

Bracchiis porrectis puer perrexit progredi. Appropinquans vidit lucem illam per rimam evadere e ianuâ, qua concludebatur andronis pars postica. Crabatus curiositate correptus summis pedum digitis ad rimam placidê progressus per eandem prospexit.



Puer conspexit cubiculum nigrum, quod illuminabatur lumine unius tantum candelae. Quae candela erat rubra. Eadem agglutinata erat ad cranium, quod impositum erat mensae cubiculo medio insitae. Post mensam sedebat vir vastus, veste obscurâ indutus, facie tam pallidâ, ut calce oblītus esse videretur; eiusdem oculus sinister obtectus erat emplastro nigro. Ante eum in mensâ positus erat liber crassus, corio involutus, qui pendeat e catenâ: in eodem ille vir legebat.

Nunc îdem capite sublato oculis torpidis prospiciebat, quasi conspexisset Crabatum post rimam ianuae stantem. Crabatus a viro illo aspectus horrore perfusus est.

Pueri oculus coepit prurire, lacrimam effundere, imago cubiculi dissoluta est. Crabatus oculum fricabat – cum animadvertit manum umero suo imponi praegelidam – a tergo, puer sensit frigus per vestem camisiamque. Simul aliquem audivit voce raucâ dicentem linguâ Venedicâ:

„En te adesse!“

Crabatus contremuit, nam hanc vocem noverat. Conversus viro oppositus est – illi viro, qui instructus erat tegimento oculari.

Istum quomodo subito advenisse ad se ipsum? Per ianuam certê non venire potuisse.

Vir candelam manu tenebat. Qui Crabato tacitê aspecto, mento promotus:

„Ego“ inquit „hîc sum magister. Tu potes fieri tiro meus, egeo aliquo. Nonne vis?“

„Volo“ Crabatus se ipsum respondere audivit. Vox ei visa est aliena, quasi non esset propria.

Magister sciscitans: „Quidnam“ inquit „vis te doceam? Artem molitoris tantum – an omnia cetera quoque?“

„Cetera quoque“ Crabatus dixit.

Tum molitor ei porrexit manum sinistram.

„Cědo manum!“

At eo momento temporis, quo manûs datae sunt, in domo factus est fuscus fremitus atque strepitus. Qui visus est venire e terris profundis. Pavimentum vacillabat, parietes contremuerunt, trabes postesque sunt quassati.

Clamore sublato Crabatus aufugere voluit: ‚abi, fac ut abeas!‘ secum cogitans – at magister ei viam interclusit.

Qui „En molinam!“ vocavit manibus in formam infundibuli complicatis.

„Nunc pergit molere!“



CRBATUM LATINE REDDIDIT  
**NICOLAUS GROSS**



**LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.com/>

## **VOCABULA AUTURGICA (III)**

ex Orbe Picto pentaglotto excerpta et Latinê reddita

CORBEIL, Jean-Claude/ARCHAMBAULT, Ariane: PONS Bildwörter-buch Deutsch-Englisch-Französisch-Spanisch-Italienisch. Stuttgart etc. (Ernst Klett Sprachen) 2003.

In hōc Orbe Picto mirabili 35.000 (triginta quinque milia) notionum imaginibus sunt illustrata et quinque linguis Europaeis denominata: Theodiscâ et Anglicâ et Francogallicâ et Hispanicâ et Italicâ. Nos autem coepimus addere vocabula Latina, quorum hōc loco praebemus partem earum sextam, quae spectant ad res domesticas (VII. DOMESTICA). Provinciae rerum, quarum imagines et vocabula in Klettiani Orbis Picti paginis 920 (nongentis viginti) inveniuntur, sunt hae quae sequuntur:

**I.ASTRONOMIA – II. TERRA – III.REGNUM PLANTARUM –  
IV.REGNUM ANIMALIUM – V.HOMO – VI.NUTRIMENTA ET  
INSTRUMENTA COQUINARIA – VII.DOMESTICA – VIII.AUTURGIA  
ET HORTICULTURA – IX.VESTIMENTA – X.INSTRUMENTA  
PERSONALIA – XI.ARS ET ARCHITECTURA – XII.COMMUNICATIO  
ET INSTRUMENTA GRAPHEICA – XIII.TRANSPORTUS ET VEHICULA  
– XIV.ENERGIA – XV.SCIENTIAE – XVI.ATHLETICA ET LUDICRA.**

Babae, quanta copia! quanta ubertas! quanta multiplicitas! Qui Orbis Pictus etiam lexicographis Latinitatis recentioris est aurifodina et cornu copiae. Nam iidem vocabulis linguarum, praesertim Romanicarum, in eodem indicatis usi saepe perfacile inveniunt vocabulum Latinissimum.

En cara Lectrix, care Lector, habeas AUTURGIAE partem tertiam (III)  
Latinis vocabulis ditificatam.

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.com/>

theodiscē	anglicē	francogallicē	hispanicē	italicē	Latinē
<b>p.312 (Schraub)- Zwinge</b>	G-clamp	serre-joint	prensa en C	morsetto a C	<b>retināculum c-fōrme</b>
<b>feste Backe</b>	fixed jaw	mors fixe	mordaza fija	ganascia fissa	<b>maxilla fīxa</b>
<b>bewegliche Backe</b>	movable jaw	mors mobile	mordaza móvil	ganascia mobile	<b>maxilla mōbilis</b>
<b>Schwenkkopf</b>	swivel head	rotule	plato giratorio	testa orientabile	<b>caput gŷrātōrium</b>
<b>Spannweite</b>	throat	gorge	boca	apertura	<b>apertūra, -ae f.</b>
<b>Stellschraube</b>	clamping screw	vis de serrage	tornillo de ajuste	vite di serraggio	<b>cochlea tēnsōria</b>
<b>Rahmen</b>	frame	monture	bastidor	telaio	<b>margō, -inis f.</b>
<b>Spanngriff</b>	handle	levier de serrage	brazo de presión	leva di serraggio	<b>vectculus tēnsōrius</b>
<b>Schraubstock</b>	vice	étau	torno de banco	morsa	<b>retināculum scamnārium</b>
<b>Spanngriff</b>	handle	levier de serrage	mango	leva di serraggio	<b>vectculus tēnsōrius</b>
<b>bewegliche Backe</b>	movable jaw	mors mobile	mordaza móvil	ganascia mobile	<b>maxilla mōbilis</b>
<b>feste Backe</b>	fixed jaw	mors fixe	mordaza fija	ganascia fissa	<b>maxilla fīxa</b>
<b>Stellschraube</b>	clamping screw	vis de serrage	tornillo de ajuste	vite di serraggio	<b>cochlea tēnsōria</b>
<b>Schwenk- verschluss</b>	swivel lock	blocage du pivot	seguro de la base	bloccaggio della base	<b>clausūra gŷrātōria</b>
<b>Bolzen</b>	bolt	boulon	perno	bullone	<b>gomphus, -ī m.</b> cfr L-Sc. s.v. "a bolt"
<b>fester Sockel</b>	fixed base	socle fixe	base fija	base fissa	<b>basis fīxa</b>
<b>Schwenk- sockel</b>	swivel base	semelle pivotante	base giratoria	base girevole	<b>basis gŷrātōria</b>

<b>Rohr-schraubstock</b>	pipe clamp	serre-joint à tuyau	sargento	morsa serratubi	<b>retināculum tubārium</b>
<b>Arretierhebel</b>	locking lever	levier de blocage	palanca de enclavamiento	leva di bloccaggio	<b>vectculus inclūsivus</b>
<b>feste Backe</b>	tail stop	sabot	zapata	cuneo	<b>maxilla fīxa</b>
<b>Rohr</b>	pipe	tuyau	tubo	tubo	<b>tubus, -ī m.</b>
<b>bewegliche Backe</b>	jaw	mâchoire	mordaza	ganascia	<b>maxilla mōbilis</b>
<b>Spannschraube</b>	clamping screw	vis de serrage	tornillo de apriete	vite di serraggio	<b>cochlea tēnsōria</b>
<b>Knebel</b>	handle	levier de serrage	llave de apriete	leva di serraggio	<b>vectculus tēnsōrius</b>
<b>Werkbank mit Schraubstock</b>	work bench and vice	établi étau	banco de trabajo	piano di lavoro a morsa	<b>scamnum fabrīle retināculō īnstrūctum</b>
<b>Spannpratze, Spanneisen</b>	peg	cale	tope	spessore	<b>ferrum tēnsōrium</b>
<b>Backen</b>	jaws	mâchoires	mordazas	ganasce	<b>maxilla, -ae f.</b>
<b>Arbeitsplatte</b>	working surface	plateau	tablero	piano di lavoro	<b>lāmina fabrīlis</b>
<b>Fußstütze</b>	footrest	appui-pieds	reposapiés	appoggiapiedi	<b>scabellum, -ī n.</b>
<b>Kurbel</b>	crank	manivelle	manivela	manovella	<b>cūpa, -ae f.</b>
<b>p.313 Bautischlerei: Mess- und Markierinstrumente</b>	carpentry: measuring and marking tools	menuiserie: instruments de traçage et de mesure	carpinteria : instrumentos de trazado y de medición	carpenteria : strumenti di misurazione e tracciamento	<b>ars tīgnāria: īnstrūmenta mēnsūrāndī et sīgnāndī</b>
<b>Metallwinkel</b>	setsquare	équerre	escuadra	squadra	<b>orthogonion, -īī n.</b>
<b>Wasserwaage</b>	spirit level	niveau à bulle	nivel de aire	livella a bolla	<b>libra aquaria</b> [pl. VITR.8,5,1]
<b>Schrägmaß</b>	bevel square	fausse-équerre	falsa escuadra	squadra falsa	<b>*plagiogonion, -īī n.</b>
<b>Messband</b>	tape measure	mètre à ruban	cinta métrica	flessometro	<b>taenia mensoria</b>
<b>Bandsperre</b>	tape lock	bouton de blocage	botón de bloqueo	fermo del nastro	<b>*boto occlusivus</b>
<b>Skala</b>	scale	graduation	escala	scala	<b>scala, -ae f.</b> [Blaise 75,822]
<b>Haken</b>	hook	crochet	gancho	gancio	<b>uncus, -i m.</b>
<b>Maßband</b>	tape	ruban	cinta	nastro	<b>taenia mensoria</b>
<b>Gehäuse</b>	case	boîtier	estuche	involucro	<b>involucrum, -ī n.; capsā, -ae f.</b>
<b>Markierschnur</b>	chalk line	cordeau à tracer	cordón de trazar	filo di tracciamento	<b>filum sīgnātōrium</b>
<b>Gehäuse</b>	case	boîtier	estuche	involucro	<b>involūcrum, -ī n.; capsā, -ae f.</b>
<b>Handkurbel</b>	crank handle	manivelle d'enroulement	manivela de enrollado	manovella d'avvolgimento	<b>cūpa manuālis</b>
<b>Schnur</b>	line	cordeau	cordón	filo	<b>filum, -ī n.</b>
<b>Haken</b>	hook	crochet	gancho	gancio	<b>uncus, -ī m.</b>

<b>Bautisch- lerei: verschie- denes Zubehör</b>	carpentry: miscellaneous material	menuiserie: matériel divers	carpinteria: materiales varios	carpenteria: materiale vario	<b>ars tīgnāria: ūtēnsilia varia</b>
<b>Werkzeug- kasten</b>	tool box	boîte à outils	caja de herramientos	cassetta degli attrezzi	<b>receptāculum īnstrūmentōrum</b>
<b>Griff</b>	handle	poignée	asa	maniglia	<b>manubrium, -īī n.</b>
<b>Deckel</b>	lid	couvercle	tapa	coperchio	<b>operculum, -ī n.</b>
<b>Einlage</b>	tray	plateau	bandeja	piano a scomparti	<b>loculāmentum, -ī n.</b>
<b>Werkzeug- gürtel</b>	tool belt	ceinture porte- outils	cinturón de herramientos	cintura portautensili	<b>cingulum īnstrūmentōrum</b>
<b>Riemen</b>	belt	ceinture	cinturón de herramientas	cintura	<b>cingulum, -ī n.</b>
<b>Tasche</b>	pocket	poche	bolsillo	tasca	<b>sacculus, -ī m.</b>
<b>Hammerhalter</b>	hammer loop	porte-marteau	porta martillo	portamartello	<b>tenāculum malleī</b>
<b>p.314 Klempner- Werkzeuge</b>	plumbing tools	plomberie: outils	fontanería: herramientas	attrezzi idraulici	<b>īnstrūmenta *hydraulica, *petalūrgica</b>
<b>Rohr- abschneider</b>	pipe-cutter	coupe-tube	cortatubos	tagliatubi	<b>*tubisectrum, -ī n. cfr *herbisectrum</b>
<b>Gewinde- schneider</b>	pipe threader	filière	terraja	filiera per tubi	<b>īnstrūmentum helicogenum</b>
<b>Teflonband</b>	Teflon tape	ruban de Téflon	cinta de teflón	nastro di teflon	<b>taenia *teflōnica</b>
<b>Bördelgerät</b>	tube flaring tool	évaseur	avellanador de tubos	allargatubi	<b>īnstrūmentum *limbogenum</b> <i>theod. bōrdeln – lat. *limbāre, *limbificāre.</i>
<b>Ventil sitzzange</b>	valve seat wrench	lève-soupape	llave allen	chiave a brugola	<b>*allevāculum valvulae</b>
<b>Reinigungs- welle</b>	plumber's snake	furet de dégorgement	sonda destapacaños	molla sturatrice per scarichi	<b>specillum *petalūrgicum</b>
<b>Ausguss- reiniger, Saugglocke</b>	plunger	ventouse	desatascador	sturalavandini	<b>*sūgibulum dēfluviāle</b>

Haec vocabula auturgica  
excerpsit et in Latinum convertit

**Nicolaus Groß  
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

Proxima pars sequetur: VOCABULA HORTULANA

## ACADEMIA POESEOS ITALICA

E. I. P. ITALIA Schola Pacis Instrumentum

Studiosi, cultoribus et discipulis

CERTAMINA

VICTORIVM TANTVCCI

E

SCEVOLA MARIOTTI

**POESEOS LATINAE CERTAMEN II**

**PROPONVNT**

Praeclaro linguae Latinae cultori s. d. p. Anna Paula et Lina

Te, praeclare linguae Latinae cultor, de certamine, quod praeclara consociatio *Academia Poeseos Italica* nec non *E. I. P. Italia* praemium *Tantucci* et *Scevola Mariotti*, adiuvante Universitate Pontificia Salesiana nec non Lyceo Romano L. Annaeo Seneca, Provincia Romana patrocinate, edicere statuerunt, certiolem facere non dubitamus. Ideo te, comitate atque humanitate tua confisae, oramus atque obsecramus, ut edictum longe lateque vulges ac diffundas atque omnes linguae Latinae cultores hortaris, ut opusculis petitores ad certamen descendant. Nos denique tibi ob ea omnia, quae ad linguam Latinam provehendam facias, gratias plurimas et maximas agimus.

Certamen apud *Universitatem Pontificiam Salesianam* magna cum solemnitate pridie Id. Apr. a. MMXIII celebrabitur.

Certamen Linguae Latinae studium nec non loquendi scribendique vim ac pertractationem favet; perennes insuper rerum humanarum respicit quaestiones, quae ut antiqua excitaverunt ingenia ad carmina Latine contexenda ita recentiores vel nostrae aetatis poetae continuo sollicitant.

Certamen insuper studiosos, cultores et discipulos, ut carmen vel opusculum de quodam Romanorum poeta Latine conscribant, adducit.

Certamen in duas partes dividitur, quarum prior, **Victorio Tantucci** dicata, gymnasiorum lyceorumque discipulis proponitur. Nam Victorius Tantucci praeclarus illius linguae Latinae grammaticae auctor fuit, quae sexaginta iam annos est vel apud Italos vel apud externas gentes plurimi ducta.

Omnibus gymnasiorum lyceorumque sive Italicorum sive externarum gentium petitoribus, qui Certamini V. Tantucci interesse cupiant, haec sunt observanda praecepta:

scripta, sive astricta sive soluta oratione, Latine omnia exarentur

scripta, quae prosa oratione exarantur, summum centum triginta verba, minimum centum complectantur;

poetarum fetus ne minus XXV versibus constant neque numerum XXV versuum excedant;

petitor opus suum, machinula scriptum vel computatro, in ima pagina nomine et cognomine notet; addat insuper domicilium, telephonii numerum, cursum electronicum lyceique titulum; unusquisque petitor quinque operis exemplaria mittat.

Petitoribus haec praemia tribuebunt:

qui inter omnes victor euaserit, diplomate et trecentis eurinummis honestabitur;

qui victori proximo discesserit, diplomate et ducentis eurinummis decorabitur.

Qui tertio erit praemio dignus ductus, publica laude tantum ornabitur.

Omnibus victoribus per diploma credita scholastica meruent.

Omnibus ubicumque terrarum petitoribus, qui Certamini V. Tantucci interesse cupiant, haec sunt observanda praecepta:

scripta, quae prosa oratione exarantur, summum centum triginta verba, minimum centum complectantur;

poetarum fetus ne minus XXV versibus constant neque numerum XXV versuum excedant;

petitor opus suum, machinula scriptum vel computatro, in ima pagina nomine et cognomine notet; addat insuper domicilium, telephonii numerum, cursum electronicum lyceique titulum; unusquisque petitor quinque operis exemplaria mittat.

Unumquodque Lyceum discipulorum opera, qui praemio V. Tantucci interesse cupiant, intra Id. Martias a. MMXIII ad Universitatem Pontificiam Salesianam, ut est infra scriptum, mittenda curent. Quod sigillum cursuale clarum testimonium praebet.

In involucro praemium index, cui opus interfuturum sit, notetur.

Altera certaminis pars, **Scaevolae Mariotti** dicata, linguae Latinae cultoribus et studiosis proponitur. Nam Scaevola Mariotti, quod neminem latet, praeclarus apud Studiorum Universitatem *La Sapienza* philologus fuit; una cum Aloisio Castiglioni *Lexicon Linguae Latinae* edidit.

Omnibus petitoribus haec sunt observanda praecepta:

scripta, sive astricta sive soluta oratione, Latine omnia exarentur;

scripta, quae prosa oratione exarantur, summum ducenta uerba, minimum centum et quinquaginta complectantur. Argumentum ad philologiam pertinens ipsi sibi seligat petitor; poetarum fetus ne minus octoginta versibus constet neque numerum centum versuum excedat;

petitor, ubicumque terrarum est, quinque operis sui exemplaria, ad unum tantum argumentum pertinentia, machinula scriptoria vel computatro exarata, intra Id. Mart. a. MMXIII ad Universitatem Pontificiam Salesianam, ut infra scriptum est, mittenda curet. Quod sigillum cursuale clarum testimonium praebet.

petitor opus suum in summa pagina sententiola notet, quam super involucrum, in quo scidula nomen et cognomen nec non domicilium, cursum electronicum claudetur, grandioribus litteris exarabit;

petitor denique curet, ne nomen super involucrum exterius exaret. Id si faciat, excludetur.

Qui victor evaserit, diplomate ornabitur et trecenti eurinummiis tribuentur

Roma a. d. V. Kal. Nov. a. MMXII.

*Lina Sergi Lo Giudice - Anna Paola Tantucci*

***Certamen di Poesia Latina***

***Università Pontificia Salesiana***

***Piazza dell'Ateneo Salesiano 1-00139 Roma***

*Pontificium Institutum Altioris Latinitatis*

*Facoltà di Lettere Cristiane e Classiche*

*Università Pontificia Salesiana*

Piazza Ateneo Salesiano 1

00139 Roma

Tel.: +39 06 87290260

Fax: + 39 06 87290397

Il Bando del Concorso sarà presente anche

sul sito [www.eipitalia.it](http://www.eipitalia.it)

[www.latinitas.unisal.it](http://www.latinitas.unisal.it)

sul sito del MIUR [www.istruzione.it](http://www.istruzione.it)





## Adeste Fideles

Portugese Melody



## Adeste, fideles

melodia Lusitana

***John Francis Wade, 1711-1786***

**Adeste, fideles,  
Laeti triumphantes,**

**Venite, venite in Bethlehem.**

**Natum videte**

**Regem angelorum.**

**:: Venite adoremus, ::**

**Dominum.**

**En grege relicto,**

**Humiles ad cunas**

**Vocati pastores approperant.**

**Et nos ovanti**

**Gradu festinamus;**

**:: Venite adoremus, ::**

**Dominum.**

**Stella duce, Magi**

**Christum adorantes**

**Aurum, tus, et myrrham dant munera.**

**Iesu infanti**

**Corda praebeamus;**

**:: Venite adoremus. ::**

**Dominum.**

**Cantet nunc hymnos**

**Chorus angelorum;**

**Cantet nunc aula caelestium:**

**"Gloria, gloria**

**In excelsis Deo!"**

**:: Venite adoremus, ::**

**Dominum.**

**Deum de Deo,**

**Lumen de Lumine,**

**Gestant puellae viscera,**

**Deum verum,**

**Genitum non factum.**

**:: Venite adoremus. ::**

**Dominum.**

**Aeterni Parentis**

**splendorem aeternum,**

**Velatum sub carne videbimus;  
Deum infantem  
pannis involutum.  
||: Venite adoremus. :||  
Dominum.**

**Pro nobis egenum  
et foeno cubantem,  
Piis foveamus amplexibus.  
Sic nos amantem  
quis non redamaret?  
||: Venite adoremus. :||  
Dominum.**

**Ergo qui natus  
die hodierna  
Iesu tibi sit gloria  
Patris aeterni  
Verbum caro factum  
||: Venite adoremus. :||  
Dominum.**

---

***Canticum natalicium, c.t. est "Adeste fideles", scriptum est circa annum 1742 a viro Anglo, cui nomen fuit John Francis Wade. Idem munere functus est in Francogallicae urbis Douay Centro Romano Catholico.***



Pastores adorant Iesum infantem.  
 Pinxit *Michelangelo Merisi da Caravaggio* circa annum 1609um.  
 Quae pictura invenitur in Museo Regionali Messanio.

**CARA LECTRIX, CARE LECTOR,**



**IN ANNI MMXII  
 NATALE DOMINI  
 LEO LATINUS**



**OPTIMA QUAEQUE TIBI EXOPTAT.**



**HANC EPISTULAM LEONINAM  
QUINQUAGESIMAM PRIMAM**

**EL 51**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE  
COMPOSUIT**

**d. Lunae, 24.º m. Decembris, a.2012**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.com/>**

